

quod quaecumque actionem potest facere inferior, potest facere superior: sicut quidquid potest diaconus, potest sacerdos. Sed, secundum Dionysium (12 cap. cael. Hier.), quilibet Angelus est major summo sacerdote apud nos, qui ex eorum potestatis participatione Angelus dicitur, Malach. 2. Si ergo sacerdos homo potest baptizare multo fortius Angelus.

Sed contra, baptismus est actio militantis Ecclesiae. Sed Angeli non sunt neque actu neque potentia de Ecclesia militante. Ergo baptizare non possunt.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod diabolus in figura sacerdotis apparet potest immergere, sed non sacramentum conferre, propter duas rationes. Primo, quia dispensatio sacramentorum non est concessa nisi hominibus, qui conveniunt eum Verbo incarnato, a quo sacramenta fluxerunt in natura assumpta; et etiam cum sacramentis, in quibus est spiritualis virtus in corporeis elementis, sicut et homines ex natura spirituali et corporali compositi sunt. Secundo si baptizare se fingeret, semper esset timendum quod non faceret intentione baptizandi, quae ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi: quia non esset probabile quod tantum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio.

Ad primam ergo dicendum, quod ubi datur baptismus, talis est qualis ille in cuius potestate datur. Sed diabolus nullo modo dare potest.

Ad secundam dicendum, quod homo peccator habet similitudinem cum Deo non solum quantum ad naturam divinam per imaginem, sed etiam quantum ad naturam assumptam; et iterum in malis hominibus possibile est esse similitudinem per gratiam, non autem in daemonibus. Et praeterea quod omnibus hominibus concessa est baptizandi potestas, hoc est propter necessitatem sacramenti, ut omnibus possit de facili adesse baptizans. Sed diaboli conversatio non est cum hominibus; unde non jure datur ad necessitatem sacramenti, si sibi potestas illa concederetur.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum quod Angelis bonis non est collata potestas baptizandi, propter duas rationes. Primo, quia non habent praedictam convenientiam cum sacramento, et cum Christo, qui est auctor sacramenti. Secundo, quia ad necessitatem baptismi non valeret potestas eis concessa, cum non sint in promptu hominibus, ut per eos baptizentur (1). Sed sicut Deus potentiam suam sacramentis non alligavit, ita nec potestatem consecrandi sacramenta alligavit aliquibus ministris; unde qui dedit hanc potestatem hominibus, posset dare et Angelis. Nec Angelus bonus baptizaret nisi divinitus potestate sibi

(1) Al. nec per eos baptizarentur.

DISTINCTIO VI.

Quibus liceat baptizare.

Nunc quibus liceat baptizare, addamus. De hoc Isidorus ait (lib. 2 de Officiis, cap. 24, et habetur de consecr., dist. 4, cap. a Constat): « Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum, ejusque ministerium: nec ipsis diaconibus in-

concessa; unde si baptizaret, non esset rebaptizandus, immo constaret quod bonus Angelus esset; sicut et iudicium est, templum quod per Angelos consecratur, non oportere per hominem consecrari, ut legitur in historia dedicationis sancti Michaelis.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli actiones hierarchicas eis proportionaliter (1) exequentur, sicutque (2) invisibiles: non autem eis est proportionale ut per corporalia hierarchicas actiones perficiant.

Ad secundum dicendum, quod non oportet quod superior potestas eodem modo operetur quo inferior, sed modo altiori; et ideo non oportet si homines sacerdotes per sacramentalia symbola actiones hierarchicas exequentur, quod hoc Angeli possint facere, sed modo altiori.

Expositio textus.

Quid noverat Joannes Baptista? Dominum. Sciendum est, quod Joannes antequam intraret eremum, Christum cognovit personaliter ex conversatione, cum fuerit ejus cognatus per carnem et sevit etiam dignitatem ejus ex prophetica revelatione sed propter longam moram miserat vultus ejus imaginationem; unde personaliter eum non cognoscebat. Et ideo Christo veniente ad baptismum, tria didicit, secundum diversos sanctos: quia, secundum Chrysostomum (hom. 16 in Joan.), didicit quod iste in persona erat ille quem praedicaverat venturum: secundum Augustinum (tract. 3 in Joan.), didicit quod habere potestatem excellentiae quam sibi retineret, tamen posset eam servis largiri quod tamen in generali prius sciverat, sed tunc in speciali de hac persona cognovit; sed secundum Hieronymum (5) didicit, quod per baptismum Christi non solum gratia conferretur mundans a culpa, sed etiam ab omni poena absolvens, quod habet ab ejus passione.

Tot essent (4) baptismi quot servi. Hoc non videtur esse inconveniens; quia per hoc non differret baptismi secundum speciem, cum haberent unam formam et unum effectum, sed differret tantum secundum materiam, sicut et nunc differunt. — Et dicendum, quod differret secundum virtutem, et secundum invocationem; et sic esset occasio schismatis (5) in Ecclesia, ut unus diceret: Ego sum Pauli, alius, Ego sum Petri.

(1) Nicolai proportionalitas.

(2) Al. sed.

(3) Non occurrit expresse quidquam tale in Hieronymo, qui baptismum nihilominus hanc vim habere saepe urget, et nominaliter lib. 6, super Ezech. ad illa verba, cap. 47: *Transiit equum usque ad totos* (Ex edit. P. Nicolai).

(4) Al. nec tot essent.

(5) Al. schismatis.

« plere est licitum aliquo Episcopo, vel presbytero (4) nisi « his procul absentibus, ultima languoris cogit necessitas:

(1) Al. episcopis, vel presbyteris.

« quod etiam laici fidelibus permittitur (1). « Item ex Concilio Carthaginensi: « Mulier quavis sancta, baptizari non « praesumat, nisi necessitate cogente. » De illis vero qui ab haereticis baptizantur, utrum rebaptizandi sint, quaeri solet. Ad quod breviter dicimus, quia quicumque sit qui baptizet, si servatur forma a Christo tradita, verum baptismum dat: et ideo qui illum sumit, non debet rebaptizari. Unde Beda (homil. 56, et habetur de consecr., dist. 4, cap. a Sive haereticus, etc.): « Sive haereticus, sive schismaticus, sive facinus « norosus quisque in confessione sanctae Trinitatis baptizet, « non valet ille qui baptizatus est, a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio et Trinitatis invocatio videatur annullari. « Item Augustinus (lib. 63 Quaest., ad Orosium quaest. 59, c. 2): « Quamvis unum sit baptismus et haereticorum, si licet eorum qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizantur, et Ecclesiae catholicae; tamen qui foras Ecclesiam baptizantur, non solum ad salutem baptismum, sed ad perniciem, habentes formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes; et ideo Ecclesia non eos baptizat (5) qui in nomine Trinitatis baptizati sunt; et ipsa est forma sacramenti. « Item: « Rebaptizare haereticum, qui haec « sanctificationis signa preceperit, omnino peccatum est; ca- « tholicum vero rebaptizare (4) immanissimum scelus est. « Ex his aperte colligitur quod qui etiam ab haereticis baptizati sunt servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt, sed tantum impositione manus reconciliandi; ut Spiritum sanctum accipiant, et in signum detestationis haereticorum. Sunt tamen nonnulli Doctores, ut Cyrillus, et alii quidam, qui dicere videntur, ab haereticis non posse tradi baptismum, et eos esse rebaptizandos, cum veniant ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizati. Sed hoc de illis verum est qui extra formam Ecclesiae baptizati praesumunt. Cyrillus tamen ubi a veritate deviasse videtur, qui ait de haereticis (lib. 4 Epistoliarum, epist. 12): « Quomodo sanctificari aquam potest, « cum ipse immundus est, et apud quem Spiritus sanctus non « est? cum Dominus dicat in lege (Num. 19, 22): Quaecumque « que tetigerit immundus, immunda erunt? Quis potest dare « quod ipse non habet? « Hoc ergo ex ignorantia eum dixisse Augustinus innuit (de unic. baptis. contra Petilianum, cap. 15), dicens: « Martyrem Cyprianum gloriosum, qui apud « haereticos vel schismaticos datum baptismum nobis cogno- « scere (3), cum eos nimis detestaretur, tanta ejus merita « usque ad triumphum martyrii secuto sunt, ut et castitas « qua excellabat luce obumbrata illi fugaretur; et si quid pur- « gandum erat (6), passio sine falce tolleretur. Nec nos, qui « baptisum veritatem et haereticorum iniquitatem agnoscimus, « ideo Cypriano meliores sumus, sicut nec Petrus, quia Gen- « tes judicare non cogimus. »

Quod nullus in materno utero baptizetur.

Hoc etiam sciendum est, quod licet ter immergamur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptismum reputatur (ut dicit Hieronymus super Epist. ad Ephes. et de consecr., dist. 4, cap. a Eodem modo). Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest, etiam si mater baptizetur. Unde Isidorus (lib. 1 de summo Bono, cap. 24): « Qui in maternis uteris sunt, baptizari non possunt: « quia qui natus adne secundum Adam non est, secundum « Christum non potest renasci: nec regeneratio in eo dici « potest in quem generatio non praecessit. « Item Augustinus (ad Dardanum, epist. 37): « Non potest quisquam renasci « antequam natus (7). « Si vero opponitur de Hieremia et de Joanne Baptista qui ab utero sanctificati leguntur, quod etiam de Jacob quidam putant, dicimus, si sanctificatio ibi accipitur interior emundatio, in miraculis divinae potentiae esse habendum, ut Augustinus ait ambigue super hoc loquens (loc. cit.): « Si usque adeo, inquit, in illo puero accele- « ratum est usque rationis et voluntatis, ut intra materna vi- « scera jam posset agnoscere et credere, quod in aliis par-

(1) Addit Nicolai: ne quisquam sine remedio salutari de hoc saeculo evocetur.

(2) Augustino inscribuntur, sed ejus non sunt; cum et in fine velut ex quodam Patrum citent aliqua verba quae Augustinus ipse habet lib. 19 de Civ. Dei, cap. 19, nec Augustini stylium praeserant; ac propterea in appendicem rejectae sint (Ex edit. P. Nicolai).

(3) Nicolai rebaptizans.

(4) Al. deest rebaptizare.

(5) Nicolai agnoscere.

(6) Idem: et (ut sacramentum fructuosum fieret fructuosus) si quid in illo purgandum erat etc.

(7) Nicolai addit sit.

« vnus expectat aetas, ut possint, in miraculis habendum « esset divinae potentiae, non ad humanae trahendum exen- « plum naturae. Nam quando voluit Deus etiam jumentum « locutum est (Num. 22). Ideo de Hieremia legitur (Hierem. « 1, 5): Priusquam exires de ventre, sanctificavi te. Illa « tamen sanctificatio quae effluunt templum Dei, non nisi « renatorum est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et « Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (Joan. « 3, 5). Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur. Unde « illa sanctificatio potest secundum praedestinationem accipi. « Ecce videtur dubitanter loqui, qui etiam in eodem dicit: « Non « dictum est, quia eredit infans in utero, sed exultavit: « nec Elisabeth dicit, Exultavit in fide, sed exultavit (1) in « utero meo. Et potuit esse haec significatio tantae rei a majoribus cognoscendae non a parvulo cogitata (2). « Absque assertionem de hac sanctificatione loquitur, non definitum qualiter intelligenda sit illa sanctificatio, an sit signum futurae rei, an veritas justificationis per Spiritum factae. Sed melius est ut dicamus illos praeter communem legem in uteris justificatos, et gratia praeventos, dimissis omnibus peccatis: quod etiam multis sacerdotum testimoniis edocetur.

Si baptismus sit, verbis corrupte prolatis.

Quaeri etiam solet, si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit. De hoc Zacharias Bonifacio scribit (referat in decretis de consecr., dist. 4, cap. a Retulerunt): « Bap- « tizantur, nisi manui tui, quod fuerit sacerdos: a eadem « provincia qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum « baptizaret, nescius latini eloqui, infrangens linguam, dice- « ret: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: et propter hoc considerati rebaptizari (5). Sed si ille « qui baptizavit, non errorem iudicavit, vel haerens, sed « pro sola ignorantia Romanae locutionis, infrangendo linguam « baptizans dixisset; non possumus consentire ut denuo bap- « tizentur. »

Leo Papa (4).

« Praeterea sciendum est, quod illi de quibus nulla ex- « tant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos, « a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renas- « cantur, non parent: in quibus quod non ostenditur gestum, « ratio non sinit ut videatur iteratum. Conferendum eis vi- « detur quod collatum esse nescitur: quia non teneritis in- « tervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis. »

De illa qui pro lulo immergitur.

Solet etiam quaeri de illa qui joans, sicut minus commemoratione tamen Trinitatis immergitur, utrum baptizatus sit. Hoc autem Augustinus non definit ita inquiens (lib. 5, de Baptis. contra Donat., cap. 55): « Si totum ludere et mi- « mice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset ba- « ptismus qui sic daretur, divinae iudicium per alioquin « revelationis miraculum (3) oratione implorandum esse ceu- « serent. « Videtur tamen sapientibus non fuisse baptismum; ut cum aliqui in balneo vel in flumine merguntur in no- « mine Trinitatis, non est tamen baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc et in aliis sacramen- « tis, sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda. Illud etiam non te movet quod quidam non ea fide parvulus ad baptismum ferunt, ut per Spiritum ad vitam regenerentur aeternam; sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem: non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione efferuntur.

Leo Papa (6).

« Agnoscendum est etiam in baptizandis electis duo tem- « pora esse servanda, videlicet Pascha, et Pentecosten, ut in « sabbato Paschae, vel Pentecostes baptismi sacramentum

(1) Augustini textus: in gaudio in utero etc.

(2) Al. sanctificatio tantae rei a majori cognoscendae indi- cium, non a parvulo cogitata.

(3) Nicolai addit eos.

(4) Epist. 90 vel 92 ad Rusticum, cap. 15, et in decretis dist. 4 de consecr., cap. Si nullo (Ex edit. P. Nicolai).

(5) Augustini textus oraculum.

(6) Epist. 4, cap. 3, ad universos episcopos per Siciliam constitutos, et in decr. de consecr., dist. 4, cap. Duo (Ex edit. P. Nicolai).

celebratur. Qui vero necessitate mortis vel periculi urgente, omni tempore debent baptizari. »

De responsione paterinorum.

Porro cuncti ad baptismum venientes fidei suam profiteri debent, et exponere ad quid petendum venerint ad Ecclesiam. Unde etiam a baptizando quaeritur: Quid venisti ad Ecclesiam petere? Qui si adultus est, pro se respondet, Fidem, id est sacramentum fidei, et doctrinam. Ita etiam per singula interrogatus respondet se credere in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui, alius pro eo respondet. Unde Isidorus (lib. 2 de Offic., cap. 24): « Parvuli alio proficiente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt; sicut etiam pro aegris, » nuntis vel surdis alius proficitur dum baptizantur. Sic et de penitentibus agendum est. Si vero pro eo qui respondere potest, alius respondet, non itidem valet, sicut dictum est (Joan. 9, 21). Actatem habet ipse de se loquatur (1). » Si vero quaeritur ex quo sensu pro parvulo dicatur, Credo, et fidem peto: dicimus de sacramento fidei ad esse intelligendum, quod responderetur petere cum defertur ad Ecclesiam, et habere cum baptizatur; ut sit sensus, cum dicitur: Fidem peto; id est, sacramentum fidei praesto sum recipere: credo, id est sacramentum fidei suscipio; quod est, hic parvulus praesto est sacramentum fidei accipere. Unde Augustinus (epist. 25 ad Bonifacium, in fine): « Nihil est aliud credere quam fidem habere; et ideo cum respondetur credere parvulus, qui fidei novum affectum habet, » responderetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum. » Sed adhuc quaeritur, ex quo sensu pro parvulo respondeatur: « Credo in Deum Patrem, et in Jesum Christum, et in Spiritum sanctum. » Numquid de sacramento fidei an de fide mentis ibi agitur? Si de sacramento, cum nominatum distinguuntur personae? Si vero de fidei affectu, quomodo verum

(1) *Nicolaus addit.* Et Concilium Carthaginense 5, can. 54: « Egrotantes si pro se respondere non possint, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur. Sic et de poenitentibus. » Si vero pro eo qui respondere potest, alius respondet, non itidem valet, sicut dictum est (Joan. 9): « Etiam habet, ipse de se loquatur. » (Et haec occasione in Decretis refertur dist. 4 de consecr., cap. Cum pro parvulis ex Augustino, lib. 4 de baptismo contra Donatistas, cap. 24). Si vero quaeritur etc.

Divisio textus.

Superius determinavit Magister, qui possunt baptizare; hic intendit, determinare qui et qualiter congrue baptizent; et dividitur in partes tres: in prima ostendit qualiter congrue fiat baptismus ex parte baptizantis; in secunda qualiter congrue fiat ex parte baptizandi; utrum (1) scilicet aliquis sit rebaptizandus, vel non, ibi: *De illis vero qui ab haereticis rebaptizantur, utrum rebaptizandi sint quaeri solet*; in tertia qualiter congrue fiat quantum ad ritum baptismi, ibi: *Cognoscendum est etiam, in baptizandis electis duo tempora esse servanda*; secunda pars dividitur in tres: in prima ostendit utrum aliquis sit rebaptizandus propter defectum baptizantis; in secunda, utrum sit rebaptizandus propter defectum baptizati, ibi: *Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest*; in tertia, utrum sit rebaptizandus propter defectum eorum quae pertinent ad baptismum, ibi: *Quaeri autem solet, si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit*. Prima dividitur in tres: in prima ostendit quod baptizati ab haereticis non sunt rebaptizandi;

(1) *Al. deest scilicet.*

est, cum ea parvulus careat? (1) An illud facturus parvulus spondetur cum creverit, sicut et omnibus pompis diaboli spondetur adrenuntiare? quod si non servaverit factus adultus, tenebitur ipse, vel sponsor. Sane etiam dici potest ibi sponderi pro parvulo, quod ad majorem aetatem si venerit, et pompis diaboli renuntiabit, et sanam fidem tenebit, cuius tunc sacramentum recipit. Haec autem spondere parvulus pro quo fit, tenebitur, non sponsor; si tamen ut cautio impleatur quantum in se est, operam dederit: quia exigitur a patre ut sit diligens circa eum pro quo spondidit, sollicitudo. De hoc Augustinus (serm. 2 ad neophytos): « Certissimum » emisitis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli spon-

De catechismo, et exorcismo.

Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in catechismo, cui additur exorcismus. Ante baptismum enim fit catechismus, post catechismum sequitur exorcismus, ut ab eo qui iam fide instructus est, adversaria virtus pellatur. Exorcismus de graeco dicitur in latinum adjectivum, catechismus instructio: catechizare enim est instruere, ut de symbolo ac rudimentis fidei: exorcizare est adjurare, ut: « Esi ab eo, » spiritus immunde; « symbolum est signum, vel collatum; signum, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur; collatum quia ibi totius fidei sufficientia et integritas est collata. Catechismus et exorcismus neophytorum sunt, magisque sacramentalia quam sacramenta dici debent. Neophytus, novitius interpretatur, vel rudis; et dicitur neophytus nuper ad fidem conversus, vel in disciplina religiosae conversationis rudis. Haec ergo praecedunt baptismum, non quod sine istis non possit esse baptismus verus, sed ut baptizandus de fide instruat, et sciat cui debitor fiat deinceps, et ut diaboli potestas in eo minuat. Unde Babuanus (de Institut. clericor., lib. 1, cap. 25, habetur de cons. dist. 4, cap. « Ante baptismum ») : « Ante baptismum catechizandi debet in homine » praeveneri officium, ut fidei catechumenus accipiat rudimentum, et sciat cui debitor fiat deinceps. » Item Augustinus (de symbolo ad catechumenos, lib. 4, cap. 1): « Parvuli » exsufflantur et exorcizantur, ut ab eis pellatur potestas » diaboli; » scilicet (2) ne jam contentat eos subvertere sine baptismum consequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei exsufflatur, vel exorcizatur; sed diaboli, ut recedat ab homine.

(1) *Al. additur respondetur.*
(2) *Al. deest scilicet.*

in secunda (1) excludit opinionem contrariam, ibi: *Sunt tamen nonnulli doctorum . . . qui dicere videntur, ab haereticis non posse tradi baptismum*; in tertia removet quamdam objectionem, quae rebaptizantibus patrocinari videtur, ibi: *Hoc etiam sciendum est etc.*

Illud autem ignorandum non est etc. Illic inquirat, utrum sit aliquis rebaptizandus propter defectum nativitatis ex utero; et circa hoc duo facit: primo ostendit quod illi qui nunc nati sunt, in maternis uteris existentes, non susceperunt baptismum baptizatis matribus; unde baptizandi sunt; secundo objicit in contrarium, et solvit, ibi: *Si vero opponitur de Hieremia, et Joanne . . . dicimus etc.*

Quaeri autem solet, si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit. Illic inquirat, utrum sint aliqui rebaptizandi propter defectum eorum quod ad baptismum requiruntur; et primo utrum propter corruptionem formae; secundo utrum propter incertitudinem baptismalis ablutionis, ibi: *Praeterea sciendum est, quod illi de quibus nulla extant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos, a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est*

(1) *Al. secundo.*

ut renascentur, ne pereant; tertio utrum propter defectum intentionis, ibi: *Solet etiam quaeri de illo qui jocans, sicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis immergitur.*

Cognoscendum est etiam, in baptizandis electis duo tempora esse servanda. Hic ostendit qualiter baptismus congrue fiat ex parte ritus, et circa hoc tria facit: primo ostendit quod tempus sit deputatum ad solemnem baptismi celebrationem; secundo determinat de professione quae praecedit baptismum, ibi: *Porro cuncti ad baptismum venientes fidem suam proferri debent*; tertio determinat de catechismo et exorcismo, in quibus hujusmodi professio fit, ibi: *Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in catechismo.* Circa secundum duo facit: primo ostendit propositum; secundo movet duas quaestiones; primam ibi: *Si vero quaeritur ex quo sensu pro parvulo dicatur, Credo, vel fidem peto; dicimus de sacramento fidei id esse intelligendum*; secundum ibi: *Sed adhuc quaeritur, ex quo sensu pro parvulo respondeatur, Credo in Deum Patrem etc.*

QUAESTIO I.

Hic est duplex quaestio. Prima de his quae requiruntur ad baptismum ex parte baptizantis et baptizati. Secunda de ritu baptismi.

Circa primum quaeruntur tria: 1.^o utrum requiratur in baptizando nativitas ex utero; 2.^o utrum requiratur in utroque intentio et voluntas; 3.^o utrum requiratur fides.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum nativitas ex utero in baptizando sit expectanda. — (5 p., quaest. 68, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod nativitas ex utero non sit expectanda. Nulli enim statui hominis praeccluditur via salutis ab eo qui vult omnes homines salvos fieri. Sed existentes in maternis uteris homines sunt, cum sint jam animam rationalem sortiti, et sunt in periculo damnationis propter peccatum originale contractum, et facilitatem corruptionis. Ergo cum eis non possit remedium adhiberi perveniendi ad vitam nisi per baptismum, videtur (1) quod debeant baptizari.

2. Praeterea, puer in materno utero existens est quasi quaedam pars matris, sicut fructus pendens in arbore, pars arboris. Ergo baptizata matre, baptizatur puer in ventre ejus existens.

3. Praeterea, contingit quandoque quod aliqua pars prius egreditur, sicut legitur, Gen. 25, de Esau, quod exivit primo manus; et tamen timetur de periculo mortis. Ergo videtur quod saltem in tali casu non sit expectanda nativitas ex utero sed pars egressa aspergenda baptismali aqua.

4. Praeterea, mors aeterna peior est quam mors corporalis in infinitum. Sed de duobus malis eligendum est minus malum. Ergo debet mater scindi, et extrahi puer, ut baptizatus a morte aeterna liberetur et non expectari nativitas ex utero.

Sed contra, 1. Corinth. 15, 46: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Sed baptismus est quaedam regeneratio

(1) *Al. dicitur.*

spiritualis. Ergo prius homo animalis, et carnalis nativitate nasci debet quam baptizetur.

Praeterea, sacramentum est actio militantis Ecclesiae. Sed quamdiu puer est in ventre matris, nondum connumeratur aliis membris Ecclesiae. Ergo non potest sibi baptismus exhiberi.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod nullus etiam in materno utero possit sanctificari per gratiae gratum facientis donum. Quia, ut Isidorus dicit (de summo Bono, lib. 1, cap. 24), regeneratio in eo dici non potest (1) in quem generatio non praecessit. Sed per gratiam gratum facientem fit homo filius Dei, et ita regeneratur. Ergo non potest homo sanctificari antequam nascatur ex utero.

2. Praeterea, sicut peccatum actuale contrahitur ex actu, ita originale contrahitur ex origine. Sed peccatum actuale non potest remitti quamdiu homo est in actu peccandi. Ergo nec peccatum originale potest remitti puero in materno utero existenti, qui adhuc est actualiter in origine existens.

3. Praeterea, ubi est majus periculum, ibi magis divina misericordia subvenit. Sed illi qui moriturus sunt antequam ex utero nascentur, sunt in majori periculo quam Joannes Baptista et Hieremias, qui ex utero postmodum nati sunt. Si ergo non dicimus paucos dictos sanctificari in utero, ne praeventiantur morte, videtur quod multo fortius nec Joannes nec Hieremias sanctificati fuerunt.

Sed contra est quod dicitur Hierem. 1, 5: *Antequam exiret de vulva sanctificavi te*; et Luc. 1, 16, dicitur de Joanne: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Ergo aliqui in utero sanctificantur.

Praeterea, de nullo celebrat Ecclesia festum, nisi de sancto aliquo. Sed celebrat nativitatem Joannis. Ergo tunc nascens sanctus erat; ergo in utero sanctificatus fuit.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod in utero sanctificati non sunt baptizandi. In sanctificatione enim in utero datur major gratia quam in baptismo: quia sanctificationis gratia dicitur esse confirmans saltem (2) contra mortale peccatum. Sed injuriam faceret baptismo qui baptismum iterum baptizaret. Ergo injuriam facit sanctificationi in utero qui sanctificationem iterum baptizando sanctificaret.

2. Praeterea, natura non facit per plura quod per unum potest facere. Sed operatio gratiae est ordinatio quam natura. Cum ergo ad salutem sufficiat gratia sanctificationis, videtur quod frustra baptismus addatur.

3. Praeterea, divina operatio non est minus efficax in sanatione spirituali quam corporali. Sed in illis quos curavit corporaliter, non oportebat aliquid medicum ab homine superaddi. Ergo et in illis quos curat per gratiam sanctificationis interius non sunt adhibenda sacramentorum medicamenta.

Sed contra, baptismus circumcisioni successit. Sed Joannes sanctificatus in utero, octavo die les-

(1) *Al. in eum non dici potest.*
(2) *Al. salutem.*

gitor circumcisis, Luc. 1. Ergo et sanctificatus in utero esset baptizandus.

Praeterea, sanctificatus in utero est baptismus fluminis. Sed adulti baptizati per contritionem baptismi fluminis, sunt baptizandi baptismi fluminis. Ergo et similiter sanctificatus in utero.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod baptismus est actio hierarchica secundum Dionysium (cap. 2 de eccl. hier.); unde per ministros Ecclesiae conferendus est, vel per eos qui in necessitate vicem ministrorum obtinent. Puer autem quamdiu est in utero matris existens, non potest subijci operationi ministrorum Ecclesiae nec est hominibus notus; et ideo tunc baptizari non potest. Quidam autem assignant alias causas, quae non sunt magis ponderis: quarum una est quod divina iustitia exigit quod peccatum quodlibet non dimittatur sine poena aliqua (1), quam puer in baptismo sentit, quod esse non posset, dum adhuc est in utero matris. Sed hoc nihil est quia baptismus, secundum Ambrosium (Ambrosianum in Epist. ad Rom., cap. 11); non requirit poenam exteriorum. Et praeterea peccato originali non debetur poena sensibilis inflata. Alia est quod gratia dat esse ordinatum; et ideo regeneratio gratiae praesupponit generationem naturae. Alia est quod puer quamdiu est in materno utero, adhuc conjungitur causae originalis peccati; et ideo non potest ab eo mundari. Sed haec duae causae repugnant sanctificationi in utero, sicut et baptismi. Alia est quod in baptismo debet esse aqua et spiritus contra infectionem carnis, et animae per originale; et ideo oportet praexistere ad baptismum nativitatem in utero, qua infunditur anima, et nativitatem ex utero, qua nascitur corpus. Sed hoc nihil est: quia nativitas neque est animae neque corporis, sed conjuncti; unde in nativitate in utero nascitur et corpus et anima. Unde primae rationi standum est.

Ad primam ergo dicendum, quod non est ex defectu divinae misericordiae quod in matris utero existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, a qua est remissio peccatorum: quia non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur.

Ad secundum dicendum, quod puer in materno utero existens, quamvis sit conjunctus matri secundum corpus, quod ab ipsa traxit tamen est omnino distinctus secundum animam rationalem quam ab extrinseco habet; et ideo secundum immutationem corporalem matris, immutatur corporaliter, sed non oportet quod sanctificata matre per baptismum, spiritualiter sanctificetur.

Ad tertium dicendum, quod expectanda est totalis egressio ex utero, nisi periculum mortis timeatur; tunc autem egressa parte principali scilicet capite, in quo operationes animae magis manifestantur, ut quidam dicunt, baptizari debet: secus autem est de aliis partibus, ut de manu et pede, quamvis non noceat etiam si tunc asperguntur illae partes baptismali aqua, quia divina misericordia non est arctanda. Si tamen postea plenarie nascatur non est rebaptizandus, secundum quosdam. Sed nihil periculi accidit, si

(1) Al. alia.

ad majorem cautelam baptizetur sub hae forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.*

Ad quartum dicendum, quod non sunt facienda mala, ut veniant bona, sicut dicitur Rom. 5; et ideo homo potius debet dimittere perire infantem quam ipse pereat, homicidii crimine in matre committens.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod sicut Deus non alligavit virtutem suam rebus naturalibus, ut non possit praeter eas operari cum voluerit quod in miraculis actibus facit, ita non alligavit virtutem suam sacramentis, ut non possit sine sacramentorum ministris aliquid sanctificare; et ideo aliquos praeter legem communem quasi miraculose in matris utero sanctificasse legitur, illos praecipue qui immediatus testimonium perhibuit, et Hieremias, qui ipsius conceptionem vaticinio expresso praedixit: *Nonum, inquit, faciet Dominus super terram. Mulier circumdabit virum: Hierem. 51, 22; et ideo etiam in beata Virgine fuit amplior sanctificatio, in qua fomes adeo debilitatus est vel extinctus, ut ad peccatum actuale nunquam inclinaretur; in aliis autem inclinavit ad veniale, non autem ad mortale; et in Joanne Baptista etiam fuit expressior quam in Hieremia cuius interior sanctificatio exultatione quadam in notitiam hominum prodit, quia dictum est: *Erulavit infans in utero ejus, Luc. 1, 41, ut secundum gradum propinquitatis ad Christum sit gradus sanctificationis.**

Ad primam ergo dicendum, quod generatio spiritualis praesupponit naturalem sibi correspondentem; et ideo generatio spiritualis quae fit per ministerium hominum in baptismo praesupponit nativitatem ex utero, qua homo in notitiam et societatem hominum prodit. Sed regeneratio quae fit divinitus, non praesupponit de necessitate nisi nativitatem in utero, qua homo a Deo creatus, formatus est.

Ad secundum dicendum, quod jam formato puerperio anima rationali infusa, puer non accipit a matre nisi nutrimentum. Peccatum autem originale, non contrahitur per actum nutritivae, sed generativae; et ideo non est actus in contrahendo originale, nisi in ipsa infusione animae; et propter hoc nihil prohibet puerum in statu illo post infusionem a peccato originali mundari.

Ad tertium dicendum, quod ea quae sunt praeter legem communem, non fiunt principaliter ad subveniendum uni personae, sed ad insinuationem et commendationem gratiae; et ideo quamvis non fuerit tantum periculum in sanctificatis in utero, qui prodituri erant, tamen quia eligebantur divinitus ut gratiae speciales praecones et ministri, ideo tali privilegiata sanctificatione dotati sunt.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod sanctificatus in utero debet baptizari, propter tres rationes. Primo propter acquirendum characterem, quo annumeretur ad populum (1) Dei, et quasi deputetur ad percipiendam divinam sacramenta. Secundo, ut per baptismi perceptionem passioni Christi etiam corporaliter conformetur. Tertio propter bonum obedientiae: quia praecceptum de bap-

(1) Al. in populo.

tismo omnibus datum est, et ab omnibus impleri debet, nisi articulus necessitatis sacramentum excludat.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus quantum ad aliquid extensive excedit sanctificationem: quia in baptismo imprimitur character, et corporaliter homo mrti Christi configuratur: quamvis intensive in sanctificatione amplior gratia fortassis praebatur; et ideo non fit injuria sanctificationi, si sanctificatus baptismus conferatur.

Ad secundum dicendum, quod non totum quod facit baptismus, factum est per sanctificationem, quia non imprimi characterem; et ideo non frustra baptismus additur, in quo etiam sanctificatus gratia augetur.

Ad tertium dicendum, quod per medicinam corporalem nihil addi posset ad salutem eorum quos Christus curaverat; et ideo non est similis ratio.

ARTICULUS II.

Utrum intentio baptizandi ad baptismum requiratur.
(5 p. quaest. 64, art. 8 et 10).

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod intentio baptizantis non requiritur ad baptismum. Intentio enim non requiritur ad opus nisi in principali agente, qui praestitit finem, et per imperium suum alios movet ad finem intentum a se. Sed sacerdos baptizans non est principale agens, sed instrumentale, ut dictum est supra. Ergo non requiritur ejus intentio ad baptismum.

2. Praeterea, intentio hominis non est alieui certa nisi sibi. Si ergo requiratur intentio ad baptismum, non erit certum de aliquo quod sit baptizatus, nisi apud eum qui baptizavit; et hoc est inconveniens quod homo sit in tanto dubio salutis.

3. Praeterea, sicut Augustinus dicit (super Joan., tract. 5), ebrius et furiosus baptizare possunt. Sed isti, ut videtur, non possunt habere intentionem, quia privantur usu rationis. Ergo intentio non requiritur ad baptismum.

4. Praeterea, intentio cognitionem requirit. Sed frequenter et de facili cogitatio ad alia rapitur. Ergo frequenter baptismus impediretur.

Sed contra, ea quae fiunt praeter intentionem, sunt casualia. Sed hoc sacramentis non competit, cum habeant determinatos effectus, et determinatas causas. Ergo requiritur intentio in baptismo, et in aliis sacramentis.

Praeterea, opera quae fiunt a voluntate, determinantur et specificantur intentione. Unde Ambrosius dicit (1) quod *affectus tuus operi* (2) *tuo imponit nomen*; et in Glossa, Math. 12 (3), dicitur: *Quantum intendis, tantum facis*. Sed baptizare est actus voluntarius. Ergo requiritur in ipso intentio ex parte baptizantis.

QUAESTIUNCULA II.

Ulterius. 1. Videtur quod requiratur intentio recta. Requiritur enim intentio facienda quod facit Ecclesia. Sed hoc intendere est rectae intentionis. Ergo ad baptismum requiritur recta intentio.

(1) Lib. 4 de Officiis, cap. 59 (Et edit. P. Nicolai).

(2) Al. effectus operi etc.

(3) Super illud: *Bonus homo de bono thesauro praefert bona* (Et edit. P. Nicolai).

S. Th. Opera omnia. V. 7.

2. Praeterea, in omnibus ad quae requiritur intentio, ita est quod per pravam intentionem vitiantur. Sed baptismus, dummodo detur, non potest esse pravus, ut in praecedenti distinctione dictum est. Ergo videtur quod prava intentio non possit conferre baptismum.

Sed contra, baptismus non impeditur ex malitia baptizantis. Sed perversa intentio pertinet ad malitiam baptizantis. Ergo perversa intentio in aliis non impedit baptismi effectum.

QUAESTIUNCULA III.

Ulterius. 1. Videtur quod intentio vel voluntas non requiratur in baptizato. Baptismus enim contra peccatum originale datur. Sed peccatum originale praeter voluntatem et intentionem contrahitur. Ergo intentio et voluntas non requiruntur ad baptismum in baptizando.

2. Praeterea, pueri, dormientes et amentes possunt baptizari, ut supra, dist. 4, quaest. 5, art. 1, quaestione. 2 et 3, dictum est. Sed illi carent intentione baptismi. Ergo ad baptismum non requiritur intentio ex parte baptizandi.

3. Praeterea, unaquaeque res per eadem corrumpitur et fit, contrarie tamen facta, ut dicitur in 2 Ethic. (cap. 1). Si ergo intentione baptizandi fieret baptismus, tunc intentione ipsius character baptismalis deleri posset; quod falsum est.

Sed contra, in baptismo fit quoddam spirituale conubium animae ad Deum. Sed in conjugio requiritur consensus. Ergo et in baptismo.

Praeterea, baptismi effectus magis impeditur ex parte baptizati quam baptizantis: quia malitia baptizantis non impedit receptionem gratiae in baptismo, quae impediri potest per malitiam recipientis sacramentum. Sed defectus intentionis ex parte baptizantis impedit sacramentum. Ergo multo fortius defectus intentionis ex parte baptizati.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam questionem, quod cum unius effectus una sit causa, si ex aliquibus pluribus causis unus effectus procedat, oportet quod illae causae sint aliquo modo factae unum ad invicem. Ad effectum autem sacramenti videmus multa concurrere: scilicet ministrum, formam verborum, et materiam. Haec autem non possunt colligari ad invicem ut sint una causa, nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, suum vero ministerium ad utrumque, et totum hoc ad sacramenti collationem; et ideo requiritur intentio baptizantis. Et similiter etiam in omnibus aliis sacramentis requiritur intentio ministri cum debita materia et forma, non solum ad effectum sacramenti consequendum, sed ad sacramenti perceptionem.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est instrumentum, scilicet animatum, ut servus, et inanimatum ut securis, ut dicitur in 8 Ethic. (cap. 11 vel 15). In instrumento igitur inanimato non requiritur intentio propria, quia ipsa inclinatio instrumenti ad effectum per motum principalis agentis, locum intentionis supplet; sed in instrumento animato, quod non tantum agitur, sed aliquo modo agit, utpote per imperium agens, et non per impulsu motus, requiritur intentio exequendi ministerium ad quod applicatum est.

Ad secundum dicendum, quod ad hoc dupliciter secundum diversas opiniones respondetur. Qui-

dam enim dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert sacramentum baptismi; tamen in adulto supplet fides et devotio effectum baptismi, ut periculum ex hoc baptizato, qui ignorat intentionem baptizantis, nullum proveniat. Si autem sit puer, creditur pie, quod summus sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, et salutem ei conferat. Si tamen non facit, non injuste facit, sicut nec in illo qui sacramento non subjicitur. Alii dicunt, quod in baptismo et in aliis sacramentis quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine causa in sacramentis necessitatis, scilicet baptismi, et quibusdam aliis, actus baptizantis tam solite expressus est ad intentionis expressionem.

Ad tertium dicendum, quod quamvis actu ebrius intentionem habere non possit, tamen ebriosus potest esse non actu ebrius, et intentionem baptizandi habens, baptizatus.

Ad quartum dicendum, quod quamvis minister sacramenti debeat niti ad custodiendum cor suum quantum potest, ut maxime in verbis sacramentalis formae intentionem habeat actualem; quia tamen cogitatio est valde labilis, etiam si tunc non adsit actualis intentio quando verba profert, dummodo prius intenderit, et contraria intentio non intervenit, sacramentum non impeditur: quia operatur tunc in vi principalis intentionis. Non enim oportet quod in opere semper intentio conjungatur in actu, sed sufficit quod opus ab intentione procedat.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod rectum est cuius medium non exit ab extremis. Sacramentum autem baptismi est quo mediante acquiritur effectus baptismi in anima baptizati; unde tunc est recta intentio quando baptizans seu baptizatus sacramentum ordinat ad effectum sacramenti, qui est salus. Si ergo intentio adsit in baptizante, quia intendit sacramentum conferre; sed desit rectitudo, quia ordinat sacramentum ad finem indebitum; non propter hoc in recipiente impeditur perceptio sacramenti, quia ad hoc fertur intentio baptizantis; neque effectus sacramenti, quia mundatio interior a ministro non est, unde ejus intentio ad hoc nihil facit. Si autem in baptizato sit intentio percipiendi sacramentum, sed desit rectitudo intentionis, recipit quidem quod intendit sacramentum, sed non rem sacramenti: quia obicem per pravam intentionem Spiritui sancto ponit.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ad sacramentum requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia, non tamen requiritur quasi de necessitate sacramenti existens, facere quod facit Ecclesia propter hoc quod Ecclesia facit: et in hoc consistit rectitudo intentionis.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non habet bonitatem ex ministro, sicut alia operatio voluntaria habet bonitatem ex operante; et ideo non est simile.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod in baptismo baptizatus duo recipit, scilicet sacramentum, et rem sacramenti; sed ad haec duo recipienda non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum removens: quod quidem impedimentum nihil aliud est quam

voluntas contraria alteri praedictorum; et ideo in adultis et in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu vel habitu, requiritur et contritio, sive devotio, ad percipiendam rem sacramenti, et intentio, vel voluntas ad recipiendum sacramentum; in pueris autem absque utroque percipitur et sacramentum et res sacramenti; et similiter est in carentibus usu rationis, nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu. Tamen sciendum, quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur in 5 Ethic. (cap. 2); et ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra, nil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec sacramentum suscipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut nimis vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere quam talia pati; tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod intentio vel voluntas in baptizato, ut dictum est, non requiritur quasi causans deletionem culpa originalis, sed solum quasi removens prohibens, scilicet contrariam voluntatem.

Ad secundum dicendum, quod in pueris non potest esse contraria voluntas neque actu neque habitu; et ideo non requiritur voluntas vel intentio in eis, qua prohibens removeatur. In amentibus autem et dormientibus potest esse voluntas contraria habitualis, quamvis non sit actualis; et ideo si ante somnum vel furiam fuerint contrariae voluntatis, non recipiunt sacramentum, quia adhuc illa voluntas habitualiter manet. Si autem habuerint propositum recipiendi baptismum, et hoc per aliqua signa innouit, tunc in articulo necessitatis debet eis conferri baptismus; et suscipiunt sacramentum et rem sacramenti, etiam si furiosus tunc contradicat: quia illa contradictio non procedit a voluntate rationis, secundum quam est capax baptismi gratiae. Si autem necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizetur in statu illo, sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans.

Ad tertium dicendum, quod voluntas vel intentio baptismum suscipiendi non requiritur ad baptismum quasi causa vel dispositio characteris, sed solum sicut removens prohibens: ideo ratio non valet.

ARTICULUS III.

Utrum in baptizato fides requiratur.
(5 p., qu. 68, art. 8, et qu. 64, art. 9.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod in baptizato fides requiratur ad hoc quod sacramentum suscipiat. Baptismus enim sacramentum fidei dicitur. Sed non nisi propter fidem recipientes ipsum. Ergo requiritur fides baptizandi.

2. Praeterea, Marc. ult. 16, dicitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit*. Ergo videtur quod requiritur in adulto quod credat ad hoc quod baptizetur.

3. Praeterea, fides essentialiter est sacramentum quam voluntas. Sed voluntas requiritur, ut dictum est. Ergo multo amplius fides.

4. Sed contra, adulti non sunt peioris conditionis quam pueri. Sed in pueris sufficit fides Ec-

clesiae ad baptismum, et non requiritur fides personae illius. Ergo nec in adultis.

3. Praeterea, caritas propinquior est ad gratiam quam fides: quia caritas non potest esse sine gratia sicut fides. Sed non requiritur caritas in recipiente baptismum, quia sic nullus adultus de novo acciperet ibi gratiam. Ergo non requiritur fides.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod requiratur fides in baptizante. Requiritur enim in baptizante intentio conferendi sacramentum. Sed infidelis quantum ad articulum baptismi non credit sacramentum baptismi. Ergo non potest intendere conferre illud, et ita non potest baptizare.

2. Praeterea, baptismus est sacramentum Ecclesiae. Sed fides est per quam membra Ecclesiae primo ad invicem ununtur. Ergo qui non habet fidem, nec potest baptizare, cum non sit de Ecclesia.

3. Praeterea, propinquius se habet ad baptismum baptizans quam offerens puerum ad baptizandum. Sed in offerente requiritur fides, quia respondet, *Credo*. Ergo multo fortius requiritur in baptizante.

Sed contra est quod in littera determinatur, quod haeretici verum baptismum conferunt. Haeretici autem infideles sunt. Ergo etc.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod recipientes baptismum ab haereticis non consequantur rem sacramenti. Quia Augustinus dicit, (lib. 4 contra Donatistas, cap. 1 et 2), quod qui foris Ecclesiam baptizant, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem. Sed baptizati ab haereticis sumunt baptismum extra Ecclesiam. Ergo non sumunt ad salutem; et ita rem sacramenti non consequuntur.

2. Praeterea, quicumque accipit aliquid ab aliquo qui non habet jus dandi illud, injuste accipit. Sed haeretici non habent jus dandi baptismum, ut dicit Augustinus (in lib. 5, cap. 13, de Baptismo contra Donatum): *Si, inquit, haereticus jus baptizandi non habuit, tamen Christi est quod dedit*. Ergo accipiens ab haeretico, injuste accipit, et ita peccat.

Sed contra, peccatum baptizantis non polluit baptismum, ut dictum est supra (dist. 3). Sed infidelitas est quoddam peccatum. Ergo non impedit effectum baptismi in baptizato.

Solutio. I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod cum quaeritur utrum fides requiratur, velut necessaria ad baptismum; non intelligitur quaestio de necessitate absoluta, sed de necessitate quae est ex conditione finis. Est autem duplex finis in baptizatis. Primus est perceptio sacramenti; secundus est perceptio rei sacramenti. Dico ergo, quod in adultis requiritur fides etiam personalis necessitate quae est ex suppositione finis secundi: quia nisi credat, reputatur fictus, ut supra, dist. 4, quaest. 5, art. 2, quaestiones 1, 2, et 5, dictum est; et ita non consequitur rem sacramenti. Non autem requiritur ad primum finem consequendum: quia sacramentum percipit aliquis etiam si non credat. Unde Augustinus dicit (1)

(1) Lib. 1 de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 11. Similia quoque habet lib. 3 contr. Donatist., cap. 14 (Ed. edit. P. Niculsi).

quod prorsus fieri potest ut aliqui verum baptismum habeant, et non habeant veram fidem. In parvulis autem sufficit fides Ecclesiae ad utrumque.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus dicitur fidei sacramentum, quia per eum homo coetibus fidelium aggregatur; et ideo qui accipit baptismum, ostendit se fidem habere; et si non habet, reputatur fictus, et rem sacramenti cum sacramento percepto non percipit.

Ad secundum dicendum, quod Dominus in verbis illis ostendit quid requiritur in baptizando ad salutem consequendam, quae est res sacramenti; unde subdit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum baptismi in anima recipitur quantum ad characterem. Anima autem non potest alicui subijci invita; et ideo voluntas seu intentio facit ad hoc quod homo se sacramento subiciat; sed fides facit ad hoc quod debito modo se subiciat. Unde fides requiritur tantum ad perceptionem rei sacramenti, sed intentio ad perceptionem rei simpliciter.

Et quia aliae rationes probant, quod nec quantum ad ultimum effectum fides requiritur, ideo ad quartum dicendum, quod in pueris non potest esse contrarium gratiae baptismalis ex personali voluntate; et ideo non requiritur personalis fides, sicut requiritur in adultis ad consequendam rem sacramenti, in quibus potest esse personalis infidelitas.

Ad quintum dicendum, quod recta intentio requiritur ad consequendam rem sacramenti. Fides autem intentionem dirigit, et sine ea non potest esse, praecipue in talibus, intentio recta; sed caritas ulterius facit intentionem meritariam; et ideo ad hoc quod homo praeparet se ad gratiam in baptismo percipiendam, praecipitur fides, sed non caritas: quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod dum haeretici vel quicumque infideles debitam formam servet, et intentionem baptizandi habeat, verum sacramentum confert: quia baptismus non habet efficaciam ex merito baptizantis, sed ex merito Christi, quod operatur in baptizato per fidem propriam in adultis, vel per fidem Ecclesiae in pueris.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ille qui non credit baptismum esse sacramentum, aut habere aliquam spirituales virtutem, non intendat dam baptizat conferre sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse; et quia Ecclesia, aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.

Ad secundum dicendum, quod quamvis haereticus per fidem rectam non sit membrum Ecclesiae, tamen in quantum servat morem Ecclesiae in baptizando, baptismum Ecclesiae tradit; unde regenerat filios Christo et Ecclesiae, non sibi vel haerese suae. Sicut enim Jacob genuit filios per liberas et ancillas (Gen. 30), ita Christus per catholicos et haereticos, bonos et malos, ut Augustinus dicit contra Donatum ubi supra.

Ad tertium dicendum, quod non requiritur fides personalis offerentium puerum ad baptismum, nec alicujus personae determinatae, sed solum fides Ecclesiae militantis; quam non est possibile defecere

totaliter, Deo sic (1) ordinante, qui dixit, *Math. ult., 20: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Si tamen deficeret, illud suppleret quod de fide remansit in Ecclesia triumphante, scilicet visio: nec offensus puerum ad baptismum in persona sua dicit, *Credo*, sed in persona pueri, ut sit sensus: *Credo*, id est, sacramentum fidei praestatum recipere.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod ille qui ab haeretico baptizatur, propter peccatum haeretici non privatur gratia baptismatis, sed quandoque propter peccatum proprium. Unde si sit puer, in quem culpa actualis non cadit, si baptizatur in forma Ecclesiae, recipit sacramentum et rem sacramenti: similiter si sit adultus, et baptizans non sit haereticus manifestus et ab Ecclesia praecisus, vel si baptizatus sit in articulo necessitatis. Si autem sciat ipsum esse haereticum, et baptismum ab ipso suscipiat, hoc contingit vel quia favet haeresi suae, vel in contemptum Ecclesiae, vel propter aliquod temporale commodum; et sic ipsemet peccat; unde proprio peccato obicem ponit Spiritui sancto, ne consequatur rem sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur in casu illo quando aliquis in favorem haeresis vel aliquo alio malo fine ab haeretico baptismum suscipit.

Ad secundum dicendum, quod jus dandi baptismum est ex duobus; scilicet ex ordine sacerdotali, et ex iurisdictione. In haeretico ergo ab Ecclesia praeciso manet jus dandi baptismum quantum ad ordinem sacerdotalem, si primo in Ecclesia sacerdos fuerit; non tamen manet quantum ad iurisdictionem, quam amittit. Nec (2) tamen sequitur quod baptismum ab haeretico suscipiens, semper injuste accipiat, cum credit eum habere jus dandi, et non esse haereticum, vel in casu necessitatis, in quo quilibet habet potestatem baptizandi.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de ritu baptismi; et circa hoc quaeruntur tria: 1.^o de ritu ipsius baptismi; 2.^o de ritu catechismi; 3.^o de ritu exorcismi.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum baptismus iterari possit.
(5 p., quaest. 66, art. 9.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod baptismus iterari possit. Quia eucharistia est sacramentum excellentius quam baptismus: quia est perfectio, secundum Dionysium (de eccl. hier., cap. 3, part. 1). Sed eucharistia iteratur. Ergo et baptismus iterari potest.

2. Praeterea, gratia est principalior effectus baptismi quam character. Sed gratia amittitur, quamvis character non deleatur. Ergo videtur quod ratione gratiae recuperandae baptismus iterari debeat.

3. Praeterea, sicut ad unitatem actionis requiritur unitas temporis, ita et unitas agentis. Sed plures possunt aliquem simul baptizare, quia unus alium non impedit; et praecipue hoc necessarium est, si unus sit mutus, qui verba proferre non

(1) *Al. haec.*
(2) *Al. deest Nec.*

possit, et alius mutus, qui non possit immergere. Ergo et similiter potest aliquis pluries diversis temporibus baptizari.

Sed contra est quod dicitur Ephes. 4, 3: *Una fides, unum baptisma*. Ergo iterari non debet.

Praeterea, baptismus contra originale datur. Sed originale peccatum non iteratur. Ergo nec baptismus iterari debet.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod non debeant esse illa duo tempora determinata ad baptismum, scilicet sabbatum Paschae, et Pentecostes. Quia periculo quam citius succurrendum est. Sed homo propter fragilitatem naturae semper est in periculo vitae suae. Ergo non debet expectari tempus aliquod determinatum ad baptismum, sed statim baptizari.

2. Praeterea, per baptismum homo regeneratur in filium Dei ad imaginem Christi. Ergo praecipue in festo natiuitatis baptismus celebrari debet.

3. Praeterea, baptismus Christi contulit aquas vim regenerativam. Sed Christus in die Epiphaniae baptizatus fuit. Ergo tunc praecipue homo deberet baptizari.

4. Praeterea, baptismus habet efficaciam a passione Christi. Ergo in die passionis dominicae magis deberet celebrari baptismus, quam in sabbato Paschae.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod sacramentalia baptismi male ponantur a Dionysio (de eccl. hier., cap. 2). Ponit enim primo receptionem baptizandi ab Episcopo quem summum sacerdotem dicit praesente omni Ecclesiae plenitudine. Debet enim baptizandus recipi ab eo qui est proprius baptismi minister. Talis autem est sacerdos, et non Episcopus. Ergo non oportet ponere receptionem ab Episcopo.

2. Praeterea, per manus impositionem datur Spiritus sanctus ad robur; quod ad confirmationem pertinet, quae baptismum sequitur. Ergo inconuenienter ponit quod Episcopus baptizando recepto manus ei ante baptismum imponit.

3. Praeterea, baptizandis sal in os mittitur, et aures et nares sputo liniuntur. Cum ergo de his Dionysius mentionem non faciat, videtur quod sacramentalia baptismi ponat insufficienter.

4. Praeterea, ipse ponit olei inunctionem ante baptismum, quae inungitur Christianus quasi ad pugnam, ut ipse dicit. Sed ad pugnam spirituales praecipue ordinatur sacramentum confirmationis. Ergo videtur quod talis inunctio non debet fieri in baptismum.

5. Praeterea, sacramenta sunt distincta. Ergo videtur quod non debeat simul cum baptismum connumerare eucharistiae perceptionem, et sacri christi inunctionem.

Solutio I. Respondeo dicendum, ad primam quaestionem, quod baptismus nullo modo iterari debet propter quatuor rationes. Prima sumitur ex morbo contra quem datur, scilicet originale peccatum, quod non iteratur; unde nec medicina iterari debet. Secunda sumitur ex re sacramenti: quia in baptismum deleatur culpa et poena totaliter. Unde

si frequenter liceret homini baptismum suscipere, esset quaedam provocatio ad peccandum: quia facilitas veniae incitamentum praebet delinquendi, ut dicit Gregorius (aequivalenter lib. 9 Mor., cap. 16). Tertia sumitur ex sua significatione: quia configurat (1) morti Christi, qui semel tantum mortuus est. Quarta sumitur ex ipso sacramento, scilicet character, quod indelebiter manet; unde fieret injuria sacramento si baptismus iteraretur, quasi prima sanctificatio non successisset; et iterum, quia ipsum sacramentum regeneratio quaedam est: cuiuslibet autem generatio est tantum semel. Quod autem nescitur esse factum, non iteratur. Unde si inueniatur pro certo aliquis defectus fuisse in baptismum eorum quae sunt de essentia sacramenti, debet absolute iterum baptizari sub hac forma: *Baptizo te, si non es baptizatus, in nomine Patris etc.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in eucharistiae sacramento sanctificatur materia, ita in baptismum sanctificatur recipiens characteris impressionem. Unde sicut fieret injuria eucharistiae, si hostia consecrata consecraretur iterum; ita fit injuria baptismum, si aliquis semel baptizatus iterum baptizaretur: quia sicut ibi sanctificatio refertur ad materiam, ita hic ad suscipientem sacramentum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis gratia sit dignior effectus baptismi quam character, et sit quodammodo principalior; non tamen est ita proprius effectus ejus, et in hoc non ita principalis: quia gratia amissa, per alia sacramenta recuperari potest; et ideo non oportet quod ad ipsam recuperandam iterum baptismus.

Ad tertium dicendum, quod si plures simul immergerent, ita quod uterque diceret, *Ego te baptizo etc.*, baptismum esset; quamvis peccarent non servantes ritum Ecclesiae: nec tamen essent puniendi tanquam iterantes baptismum, nisi hoc intenderent: quia contingit eandem actionem et ab uno et a pluribus exerceri; non autem contingit eandem actionem esse quae in diversis temporibus fit. Si autem dicant: *Nos baptizamus te*, non erit baptismus: quia non servatur debita forma, ut supra, dist. 5, qu. 1, art. 2, quaestione 2, dictum est. Similiter non erit baptismus, si unus sit mutus et alius mutus, uno proferente verba, et alio immergente: quia ipsa verba formae ostendunt quod ab eodem debet fieri immersio et verborum pronuntiatio.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod in baptismum duo considerantur; scilicet substantia sacramenti, et solemnitas; et quantum ad substantiam sacramenti non est aliquod tempus determinatum ad baptismum; immo quolibet die et quolibet hora baptismus celebrari potest. Sed sollemnis celebratio baptismi in Ecclesia habet tempus deputatum, scilicet duplex sabbatum, de quo in littera dicitur; cuius ratio est, quia baptismus habet efficaciam ex duobus; scilicet ex virtute Spiritus sancti; et ideo in vigilia Pentecostes celebratur sollemniter baptismus: item ex passione Christi, cuius morti aliquis configuratur per baptismum quasi conspultus Christo in mortem, ut dicitur, Rom. 6; et ideo celebratur sollemniter in die sepulturae Christi, id est in vigilia Paschae.

Ad primum ergo dicendum, quod in necessitate non oportet expectare ista duo tempora. Unde di-

(1) *Al. configuratur.*

citur, de Consecr., dist. 5: *De catechumenis baptizandis in decretum est ut in Paschali festivitate vel Pentecostes veniant ad baptismum; in ceteris autem solemnitatibus infirmi tantum debent baptizari*. Et quia pueri (1) infirmi computantur propter naturae imbecillitatem, et propter periculum damnationis, a qua non possunt aliter liberari; ideo nunc ipsi pueri baptizantur ut in pluribus, et non expectantur haec duo tempora, sicut in adultis expectari solebant.

Ad secundum dicendum, quod in festo natiuitatis recolitur natiuitas Domini secundum carnem. Nos autem non efflicimur fratres ejus natiuitate carnis, sed spiritus; et ideo non oportet quod tunc baptismus celebratur.

Ad tertium dicendum, quod per baptismum Christi est tantum materia praeparata ad actum baptismi; sed virtus agens in baptismum est meritum passionis Christi, et virtus Spiritus sancti. Et quia agens in omnibus est principalis quam materia, ideo potius in duobus determinatis temporibus baptismus celebrari debet quam in Epiphania. Tamen ideo non est specialiter institutum baptismum celebrari in die illa, ut excluderetur error quorundam, qui dicebant, nunquam baptismum, posse conferri nisi in die illa qua Dominus baptizatus est.

Ad quartum dicendum, quod homo in baptismum configuratur passioni Christi per modum eiusdem conspeltionis, ut Apostolus, Rom. 6, dicit; et ideo in die sepulturae congruentius fit quam in die passionis.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod Dionysius prosequitur ritum baptismi qui in primitiva Ecclesia servabatur in sollemni celebratione baptismi, quando adulti ad baptismum veniebant; et ideo quatuor per ordinem ponit; quorum primum pertinet ad catechismum, secundum ad exorcismum, tertium ad baptismum, quantum ad baptismum complementum. Quantum ad catechismum pertinent haec quae hic per ordinem tanguntur. Primo instructio de fide per praedicationem Episcopi. Secundo conversio infidelis ad fidem, et accessus ad Episcopum mediante patino, quem anadochum dicit. Tertio gratiarum actio et oratio ab Episcopo et clericis facta. Quarto petitio baptismi et professio observantiae christianae religionis. Quinto manus impositio, et signatio ejus signo crucis. Sexto conscriptio baptizandi et anadochi. Sed quantum ad exorcismum ponuntur quatuor. Primo exsufflatio versus occidentalem partem, et abrenuntiatio. Secundo manuum ad caelum erectio cum sacra confessione fidei, et professione christianae religionis. Tertio oratio, benedictio, et manus impositio. Quarto denudatio, et unctio oleo sancto, quod dicitur ad catechumenos. Sed quantum ad baptismum ponit trinam immersionem cum aliis quae requiruntur ad baptismum; quantum vero ad perfectionem baptismi, quae consequitur, ponit tria scilicet vestis traditionem, linitionem christi in vertice, et eucharistiae perceptionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius tradit ritum baptismi quantum ad maximam sui sollemnitatem; et ideo non ponit solum ministrum sufficientem, sed excellentem.

Ad secundum dicendum, quod circa baptismum ut ex praedictis patet, triplex manus impositio da-

(1) *Al. qui infirmi.*

tur. Una in catechismo, ut homo in fide roboretur in seipso; alia in exorcismo, ut roboretur in pugna adversus diabolum; tertia in confirmatione, ut roboretur in confessione fidei contra pressuras mundi.

Ad tertium dicendum, quod de illis sacramentalibus quae pertinent ad solemnitatem baptismi, quaedam fuerunt in primitiva Ecclesia quae nunc non sunt; et quaedam postea superaddita sunt. Unde exorcismo aliquid subtractum est, ut patet per ritum quem docet Rabanus (lib. 1 de Institut. cleric., cap. 27), scilicet conversio ad occidentalem partem et orientalem; et aliquid additum, scilicet salis cibatio, et aurium et naribus sputo linitio, ad designandum remotionem illorum quae praecipue possunt impedire fidei doctrinam, quae sacramentum percipiendum est. Potest enim impediri ne recipiatur; et contra hoc adaperiuntur aures sputo ad recipiendum fidem ex auditu per verbum Dei, et nares ad quaerendum doctrinam fidei per odorem bonum notitiae suae sparsum in conversatione et doctrina sanctorum; ad similitudinem ejus quod Dominus luto ex sputo facto linitit oculos caeci nati (Joan. 9). Ideo autem oculi non linituntur, quia visus inventioni servit, fides autem non est per inventionem humanam. Potest etiam impediri divulgatio fidei inconfutibus et docentibus ipsam; et ideo apponitur in ore sal discretionis, ut omnis sermo fidelium sit sale conditus.

Ad quartum dicendum, quod circa baptismum est triplex inunctio. Una ante baptismum, quae fit oleo sancto, quod dicitur ad catechumenos et hoc secundum Dionysium (ubi supra) et Ambrosium (lib. 1 de Sacram., cap. 2), fit in signum pugnae contra inimicum, sicut athletae inunguntur; vel secundum Rabanum (ubi supra), ut nullae reliquiae latentis inimici residant: quia quod emollitum est, facilius abluunt ab intrinsecis sordibus potest. Secunda fit post baptismum chrismate in vertice, ut sicut per ablationem aquae significatur emundatio a peccatis. Ita per chrismatis linitio in vertice significetur gratia collata in mente ad bene operandum, ut odor boni exempli ad alios diffundatur. Tertia fit in confirmatione, de qua post dicitur.

Ad quintum dicendum, quod illa linitio chrismatis non est sacramentum confirmationis, sed datur tantum in signum, sicut et vestis candida, et candela accensa; ut per vestem candidam significetur novitas vitae et puritas, per chrisma odor bonae famae, per candelam accensam veritas doctrinae. Eucharistiae autem perceptio non ponitur a Dionysio quasi sacramentale baptismi, sed quia iam baptizatus est configuratus (1) admittitur ad sacramentalem mensam; et iterum quia omne sacramentum per eucharistiam consummatur, ut Dionysius dicit (de eccles. Hier., cap. 3, part. 1).

ARTICULUS II.

Utrum catechismus baptismum praecedere debeat.
(3 p., qu. 71, art. 1.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod

(1) Nicolai: sed quia qui iam baptizatus est, quasi configuratus (vel consignatus) admittitur etc.

catechismus baptismum praecedere non debeat. Quia, sicut dicit Augustinus in lib. de catechizandis rudibus (cap. 2): *Narratio plena (1) est cum quisque primo catechizatur, ab eo quod scriptum est, in principio creavit Deus caelum et terram, usque ad praesentia tempora Ecclesiae.* Sed hoc non potest fieri nisi longissimo tempore. Cum ergo periculosum sit tantum differri baptismum, videtur quod non debeat baptismum catechismus praecedere.

2. Praeterea, Matth. 7, 6, dicitur: *Nolite sanctum dare canibus.* Sed sanctum ibi dicitur doctrina sacra, quae non est committenda immundis, ut Dionysius dicit (de ecc. Hier., cap. 1). Cum ergo non baptizati sint immundi, videtur quod non debeant catechizari non baptizati.

3. Praeterea, baptismus est spiritualis regeneratio, per quam datur esse spirituale, ut Dionysius dicit (eodem lib., cap. 2, part. 1). Sed prius est accipere esse quam doctrinam. Ergo baptismus debet praecedere catechismum.

Sed contra est quod dicitur Matth. ult. 19: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Ergo doctrina fidei quae ad catechismum pertinet, debet praecedere baptismum.

Praeterea, nullus digne accedit ad baptismum qui fictus accedit. Sed non credens reputatur fictus secundum Augustinum. Cum ergo fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi, ut dicitur Rom. 10, videtur quod oporteat prius instrui aliquem per verbum Christi quam ad baptismum accedat.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod catechizare non sit officium sacerdotis. Quia, secundum Dionysium in ecclesiast. Hierarch. (cap. 3, part. 3), diaconi habent officium super omnes immundos, quia ipsi habent purgativam virtutem. Sed primus gradus immundorum sunt catechumeni, ut ipse dicit. Ergo ad diaconos pertinet eorum instructio.

2. Praeterea, illius videtur esse instruere baptizandum cuius est ad baptismum cum adducere. Hoc autem est anadochi, idest patrini, secundum Dionysium, et non sacerdotis. Ergo et catechizare non erit sacerdotis officium.

3. Sed contra est quod dicit Nicolaus Papa (cap. Catechismi, dist. 4 de Consecratione): *Catechismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscuiusque Ecclesiae fieri possunt.* Ergo videtur esse officium sacerdotum.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod pueri non debeant catechizari. Frustra enim adhibetur instructio ei qui non est perceptibilis disciplinae. Sed puer non est perceptibilis disciplinae, quia non habet usum liberi arbitrii. Ergo non debet ei instructio adhiberi.

2. Praeterea, in catechismo requiritur confessio fidei, et confessio christianae religionis, ut per Dionysium patet (de ecc. Hierarch., cap. 2, part. 2). Sed hoc per se puer facere non potest, nec aliquis pro puero: quia nullus potest ex voto al-

(1) Al. plana.

terius obligari. Ergo videtur quod non debeant pueri catechizari.

3. Praeterea, si ipse pro puero confitetur ergo videtur quod ipse patrinus obligetur ad instruendum puerum de his quae pertinent ad fidem christianam; et ita videtur quod sit valde periculosum puerum de sacro foate levare, cum raro aliquis de pueri instructione curam gerat.

Sed contra est quod ritus baptismi debet in omnibus similiter observari, ut ostendatur unitas baptismi. Si ergo adulti catechizantur, et similiter pueri catechizari debent.

Praeterea, ad hoc est generalis Ecclesiae consuetudo.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod sicut in aliis scientiis et, doctrinis quaedam sunt communia, quibus ignoratis necesse est artem ignorare; quaedam autem propria, quae sine ignorantia illius doctrinae ignorari possunt; ita etiam in doctrina fidei quaedam dicuntur quae sunt fidei communia rudimenta, ad quae credenda explicite omnes tenentur, sicut est fides Trinitatis, et Incarnationis, et Passionis, et divini iudicii, et providentiae Dei de factis hominum; et talis instructio catechismus dicitur: de aliis autem debet instrui post baptismum temporis processu.

Ad primum ergo dicendum, quod non est necessarium quod omnia in particulari addiscat quae in tota Biblia continentur sed in quadam summa, ut scilicet videat quomodo in quolibet statu mundi Deo fuit cura de omnibus.

Ad secundum dicendum, quod Dominus loquitur de illis immundis qui fidei contrariantur non de illis qui ad fidem accedere volunt; unde sequitur: *Ne ipsi conversi dirumpant vos.*

Ad tertium dicendum, quod generatio naturalis non praesupponit aliquam cognitionem; et ideo non potest praexistere aliqua instructio; sed spiritualis regeneratio praesupponit vitam naturalem; et ideo potest praexistere aliqua instructio.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod triplex est instructio fidei. Una admonitória, qua quis ad fidem convertitur, et haec proprie est sacerdotum, quorum omnia est praedicare et docere; unde et Dionysius (ubi sup.), hanc instructionem Episcopo attribuit. Alia est instructio disciplinalis, qua quis instruitur qualiter ad baptismum accedere debet, et quid credere debeat; et haec pertinet ad officium diaconi, et per consequens sacerdotis: quia quidquid est diaconi, est etiam sacerdotis. Tertia, quae sequitur baptismum, et haec pertinet ad anadochum, et ad praelatos Ecclesiae. Praelati enim Ecclesiae habent quasi doctrinam generalem, quae per officium anadochi specialiter ad hunc vel illum adaptatur secundum quod ei competit.

Ad primum ergo dicendum, quod in primitiva Ecclesia, quando adulti ad baptismum veniebant, qui magna instructione indigebant, hoc per diaconos exercebatur, sacerdotibus circa majora occupatis; et ideo Dionysius diaconibus attribuit.

Ad secundum dicendum, quod anadochus non instruit ante baptismum de fide, sed conversum iam recipit, ad instructionem praesentans.

Ad tertium dicendum, quod quidquid est diaconi, licet etiam sacerdotibus facere; unde per hoc non removetur quin catechizare sit officium diaconi.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum,

quod catechismus est quasi quaedam dispositio ad baptismum. Dispositiones autem debent proportionari illis ad quae disponunt; unde in adultis, in quibus in baptismum requiritur propria fides et propria voluntas, requiritur etiam quod ipse per se catechizetur, et per se confiteatur, et christianam religionem profiteatur. In puero autem ejus baptismum operatur tantum ex fide Ecclesiae et merito Christi, fit instructio mediante alio; unde eadem quibus instruendus est, proponuntur praesente anadocho, cui committitur in his instruendis; et ipse loco ejus confessionem et professionem facit.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non sit tunc actu perceptibilis disciplinae, tamen habet huiusmodi perceptibilitatem in radice quantum ad potentiam rationis quam habet ex natura, et quantum ad habitum fidei, quem recipit in baptismum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis puer confiteri non possit per se, vel profiteri, tamen alius vicem ejus supplet, non quidem suam propriam fidem confitens sed fidem pueri, et quantum ad id quod nunc est, ut sit sensus: *Credo*; idest, sacramentum fidei praesto sum accipere, in persona pueri loquens, ut Augustinus (epist. 25 ad Bonifacium) exponit; et quantum ad id quod futurum est, ut fit sensus, *Credo*; idest, quando ad perfectam aetatem veniam, fidei consentiam, ut Dionysius exponit (de ecc. Hier., cap. 7); et hoc quidem confiteri potest ex proposito sollicitudinis circa ipsum adhibendae, ut alio modo possit esse sensus, *Credo*; idest, operam dabo ad hoc quod credat; et in hoc ipse puer obligatur, et anadochus: quia de illis ad quae omnes tenentur, non est inconveniens si unus alium obliget; secus autem est de consiliis, ad quae non omnes tenentur.

Ad tertium dicendum, quod non est ibi magnum periculum quantum ad modernum tempus: quia parentes pueri sunt Christiani, et satis probabiliter potest aestimari quod cum in fide nutriunt, et etiam ex aliis quibus convivet, fidem addiscet. Secus autem erat in primitiva Ecclesia, ubi pueri cum infidelibus conversabantur; et ideo diligentior cura adhibenda erat ab anadocho vel patrino. Et similiter etiam nunc, si pueri parentes de infidelitate suspecti essent, vel si inter infideles conversaturus forte puer esset.

ARTICULUS III.

Utrum exorcismus baptismum praecedere debeat.
(3 p., quaest. 71, art. 2, 5 et 4.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod exorcismus in eodem non debeat praecedere baptismum. Exorcismi enim contra energumens instituti sunt. Sed non omnes qui accedunt ad baptismum, sunt energumeni. Ergo non omnes sunt exorcizandi.

2. Praeterea, prius debet curari causa quam curetur effectus. Sed peccatum est causa quare in quibusdam diabolus potestatem habeat. Si ergo exorcismi sunt ad potestatem diaboli pellendam, videtur quod prius deberet aliquis per baptismum a peccato mundari quam per exorcismum a potestate diaboli.

3. Praeterea, ad idem superfluum est diversa remedia ordinari. Sed ad potestatem daemonis arcedas sufficit aqua benedicta. Ergo non oportet ad hoc alios exorcismos esse.

Sed contra est quod Caecilius Papa dicit (epist. I et refertur de consecr., dist. 4, cap. *Sive parvuli*): *Sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniant sacramentum, non fontem vitae prius adeant quam exorcismis et exsufflationibus clericorum immundus spiritus ab eis abjiciatur.*

Praeterea, alia quae sanctificantur, prius exorcizantur, sicut patet in aqua benedicta, et in sale quod apponitur. Cum ergo in baptismo homo consecratur, videtur quod prius debeat exorcisari.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. I. Videtur quod exorcismus non habeat aliquem effectum, sed sit ad significandum tantum. Nihil enim plus exigitur ad sacramentum novae legis nisi quod significat, et efficiat quod significat. Si ergo ea quae sunt in exorcismo, non solum significant, sed etiam efficiunt, tunc per se sacramenta sunt, et non sacramentalia.

2. Praeterea, sicut exorcismus praecedit baptismum, ita et quaedam alia sacramentalia consequuntur ipsum, sicut prius dictum est. Sed illa consequentia sunt tantum ad significandum. Ergo et exorcismus?

5. Praeterea, si aliquis exorcizatus puer ante baptismum moriatur, constat quod hoc cum a daemone non liberet. Ergo ad minus in anima ejus exorcismus nullum effectum habuit.

4. Praeterea, sicut dicit Cyprianus (in serm. de solutione pedum (1)): *Scias nequitiam diaboli permanere usque ad aquam salutarem posse; in baptismo autem nequitiam amittere.* Sed aliquando etiam post baptismum exorcismus fit in illis quibus in articulo necessitatis exorcismus omissus fuerit, si periculum evadant. Ergo non liberat a potestate daemonis, et nullum effectum habere videtur.

Sed contra, Gregorius super Ezech. (homil. 29): *Sacerdos dum per exorcismi gratiam manus imponit credentibus, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicit, quid aliud facit, nisi quia daemones ejicit?* Ergo habet aliquem effectum.

Sed contra, exorcismi Salomonis habebant aliquem effectum ad pellendos daemones. Ergo multo fortius exorcismi Ecclesiae.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. I. Videtur quod exorcizare sit officium eorum qui in sacris ordinibus constituuntur. Quia operari in immundi, secundum Dionysium (ubi supra), ad diaconos pertinet. Sed inter immundos, secundum Dionysium, locum tenent energumeni. Cum ergo exorcizatio sit ad eos sicut catechizatio ad catechumenos, videtur quod sit eorum qui sunt in sacris ordinibus.

2. Praeterea, catechismus praecedit exorcismum. Sed in artibus operativis ita est, quod operatio principalioris artis semper sequitur, sicut patet de arte quae secat ligna, et quae compaginat navem. Cum ergo catechismus per diaconos vel sacerdotes fiat, videtur quod exorcismus non possit fieri per illos qui sunt in minoribus ordinibus.

5. Praeterea, ad hoc est consuetudo Ecclesiae:

(1) Epist. 76, sive lib. 1, epist. 6, versus finem, non in serm. de ablut. pedum, qui nec est Cypriani (Ex edit. P. Nicolai).

quia exorcizatio solum per sacerdotes fit; quod etiam ex auctoritate Gregorii inducta patet.

Sed contra est quod infra, dist. 24, dicit Magister quod ad exorcistas pertinet exorcismos memoriter tenere, manus super energumenos imponere. Ergo cum exorcista non sit sacer ordo, videtur quod ille qui est in minoribus ordinibus constitutus possit exorcizare ex officio.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod propter peccatum hominis diabolus potestatem accipit in hominem, et in omnia quae in usum hominis veniunt, in ipsius nocumentum. Et quia nulla conventio est Christi ad Belial, ideo quodcumque aliquid sanctificandum est ad cultum divinum, prius exorcizatur, ut liberatum a potestate diaboli, qua illud in nocumentum hominis assumere poterat, Deo consecratur; et hoc patet in benedictione aquae, in consecratione templi, et in omnibus hujusmodi. Unde cum propria sanctificatio qua homo Deo consecratur, sit in baptismo, oportet quod etiam homo prius exorcizetur quam baptizetur, multo fortiori ratione quam alia res: quia in ipso homine est causa quare diabolus potestatem accipit in hominem, et in alia quae sunt propter hominem, scilicet peccatum originale vel actuale; et haec significant ea quae in exorcismo dicuntur, ut cum dicitur: *Recede ab eo satana*, et hujusmodi; et similiter ea quae ibi fiunt: quia ipsa exsufflatio significat daemonis expulsionem; benedictio autem cum manus impositione praeccludit expulso viam, ne redire possit; sal autem in os missum, et narium et aurium sputo linitio significat remotionem impedimenti ipsius daemonis respectu fidei decendae vel addiscendae, ut dictum est; sed olei inunctio significat expeditionem hominis in pugna quam adversus diabolum suscipit, a cuius potestate exemptus est.

Ad primum ergo dicendum, quod energumeni dicuntur interius laborantes, ab *en*, quod est *in*, et *eryon*, quod est *labor*. Et quamvis non omnes baptizandi sint energumeni, nec interius laborantes a diabolo vexati corporaliter, tamen interius laborant vel infirmantur propter infectionem fomitus diaboli in eis potestatem habente.

Ad secundum dicendum, quod quando effectus confirmant causam, tunc prius laborandum est ad curandum effectum, ut sic expeditius procedatur ad curationem causae. Potestas autem daemonis, quae ex peccato consequitur, et tenet et servat hominem in malitia et in peccato; et ideo prius evacuanda est potestas daemonis, vel debilitanda, quod in exorcismo fit, ne curationem causae, id est peccati, in baptismo factam impedire possit.

Ad tertium dicendum, quod diabolus impugnat nos et ab exteriori et ab interiori. Aqua ergo benedicta ordinatur contra impugnationem diaboli quae est ab exteriori, sed exorcismus contra impugnationem quae est ab interiori. Unde et illi contra quos datur, dicuntur energumeni, id est interius laborantes.

Solutio II. Ad secundam quaestionem dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod ea quae in exorcismo aguntur, sunt tantum signa eorum quae postea in baptismo complentur, in quo potestas daemonis totaliter evacuat, ut Cyprianus dicit in auctoritate inducta. Sed hoc est contra auctoritatem Gregorii inductam, et contra ea quae in exorcizando dicuntur; quae frustra dicerentur, nisi aliquem effectum haberent.

praecipue cum per modum imperii, et non solum per modum orationis dicantur in hoc quod dicitur: *Ergo, maledicte diabole, exi ab eo etc.* Et ideo dicendum secundum alios, quod non tantum significant, sed etiam efficiunt aliquid, non tantum in corpore, sed etiam in anima, quia in utroque est infectio fomitus. Effectus autem iste est debilitatio potestatis daemonis, nec tantum possit in homine sicut ante, ne baptismum et alia bona in ipso impediatur; sed potestas praedicta totaliter in baptismo aufertur: sicut etiam Pharaon prius flagellatus est populo nondum de Aegypto egresso, et postea totaliter in mari rubro, quod est figura baptismi, submersus.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramenta novae legis habent effectum in conferendo gratiam qua perfecte morbo subvenitur, contra quem sacramentum ordinatur; sed sacramentalia habent effectum in removendo contrarias dispositiones, vel impedimenta gratiae; et ideo secundum diversa impedimenta multiplicantur, nec in eis gratia confertur.

Ad secundum dicendum, quod non est simile de sacramentalibus quae sequuntur et quae praecedunt: quia ex quo baptismus plene effectum suum habet, non oportet quod impedientia baptismum tollantur, quia jam impediri non potest; tamen non est remotum quod unctio chrismatis post baptismum in vertice facta aliquem effectum ad gratiam conferendam vel conservandam habeat.

Ad tertium dicendum, quod Praepositivus dixit, quod exorcizatus ante baptismum decedens, minores tenebras patietur. Sed hoc nihil est: quia tenebrae illae in sola carentia divinae visionis consistunt, cum non habeant aliam poenam sensibilem; et hoc in omnibus aequaliter erit. Et ideo dicendum aliter, quod non habet effectum in collatione gratiae, sed solum in debilitatione potestatis daemonis; et ideo hoc valet ei tantum in vita.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc quod uniformitas baptismi observetur, oportet quod exorcismus si praetermissus fuit, post baptismum suppletur; et tunc tantum significat; vel forte additur etiam aliqua prohibitio ab impugnatione diaboli. Nec hoc est inconveniens, cum etiam per aquam benedictam, qua post baptismum aspergimur, aliqua potestas daemonis reprimatur.

Solutio III. Ad tertiam quaestionem dicendum, quod exorcizare ad exorcistas pertinet ex proprio officio ordinis; nihilominus tamen est et superiorum officium. Tamen propter ostendendam unitatem baptismi, consuetum est in Ecclesia ut totum quod ad baptismum pertinet, expleatur ab uno, scilicet a sacerdote; et praecipue nunc, quando non venit magna multitudo simul ad baptismum, et sunt multi sacerdotes. In primitiva autem Ecclesia quandoque magna turba simul ad baptismum accedebat, et erant pauci sacerdotes; unde hujusmodi sacramentalia relinquebantur in minoribus ordinibus constitutis.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius sub ministris comprehendit omnes ordines inferiores; et ideo ministris qui diaconi dicuntur, attribuit omnia quae sunt inferiorum ordinum: quia forte in primitiva Ecclesia nondum erant illi ordines ita distincti propter paucitatem ministrorum.

Ad secundum dicendum, quod sicut exorcismus primo pertinet ad exorcistam, ita etiam primus ordo, qui habet actum in catechizando, est ordo lectorum, quamvis hoc postea per superiores ordines communi. S. Th. Opera omnia, V. 7.

pleatur; et ideo sicut catechismus praecedit exorcismum, ita ordo lectoris praecedit ordinem exorcistae.

Ad tertium dicendum, quod completa potestas in exorcizando competit sacerdoti; et ideo quando non est magna necessitas, ipse secundum consuetudinem Ecclesiae exorcismi actum exequitur; et secutum hanc consuetudinem loquitur auctoritas Gregorii.

Expositio textus.

Ille etiam sciendum est, quod licet ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur. De trina immersione supra, dist. 5, dictum est.

Acceleratus est usus rationis. Quia Augustinus super hoc ambigue loquitur, ideo diversimode quidam de hoc senserunt. Dixerunt enim quidam, quod Joannis evolutio non fuit aliquis motus corporalis, sed miraculosus quasi gaudens, ut matris immotesceret matris Salvatoris adventus. Alii autem dicunt aliter et melius, quod ad illud momentum datus est ei usus rationis; et non est inconveniens si postea sit subtractus, sicut et gratia raptus ad momentum datur: secus autem est de gratia raptum faciente, quae non subtrahitur sine culpa.

Non errorem inducens etc. Quia si errorem vellet inducere, intendens mutare formam Ecclesiae, hoc ipso non intenderet facere quod Ecclesia facit; et ideo non baptizaret. De corruptione autem formae supra, dist. 2, dictum est.

Dicimus iudicium per alicujus revelationis miraculum oratione implorandum esse censere. Videtur quod male dicat: quia divinum iudicium non est hoc modo requirendum nisi in dubiis. Certum autem videtur, quod si ludo fecit, intentio defuit, et verus baptismus non fuit. — Et dicendum, quod ludus aliquando excludit intentionem, et aliquando non. Cum enim ludo fieri dicantur quae praeter intentionem alicujus utilitatis fiunt ad solam delectationem, ludus baptismantum potest excludere intentionem respectu utriusque effectus ablutiois, scilicet sacramenti collationis, et rei sacramenti; et tunc non intendit facere quod facit Ecclesia in collatione sacramenti; et ita talis ludus evacuat intentionem quae requiritur in sacramento: vel potest excludere tantum secundam utilitatem, ut scilicet velit de hoc ludum suum facere ex eo quod baptismi sacramentum conferat, non propter sanctificationem baptizandi hoc faciens; et tunc manet intentio quae sufficit ad baptismum. Et propter hoc dubium (dixit Aug.) implorandum est divinum iudicium; et ideo dicitur quod puer Athanasius ludendo (1) simulans se Episcopum baptizavit quosdam, et iudicium est ab Alexandro Episcopo ut non rebaptizarentur: quia inventum est quod ipse intentionem baptizandi habuit; quod etiam patet ex hoc quod non baptizabat nisi catechumenos.

Cui additur exorcismus etc. Videtur quod exorcismus debeat praecedere catechismum: quia prius removendum est malum quam perficiatur aliquid in bono. — Et dicendum, quod verum est, si utrumque in eodem genere accipiatur. Sed catechismus ordinat ad bonum non efficiendo aliquid, sed solum instruendo; exorcismus autem removet malum in operando; et instructio in talibus debet operationem praecedere, ut sciat homo quid in eo fieri debeat.

(1) *At. loquendo.*